

CCXLIV.

Anno 1745. 27. Aprilis Viennae.

Maria Theresia SS. et OO. Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Commissarios pro reincorporatione Slavoniae Inferioris nominare jubet.

MARIA THERESIA DEI Gratia Regina Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae ac Slavoniae, Archidux Austriae &c., Nupta Dux Lotharingiae & Barri; Magna Dux Hetruariae.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregij et Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Ex his, quae ante duos abhinc Annos acta fuere, notum adhuc erit Fidelitatibus Vestris, qualiter Districtus Syrmiensem et inferioris Sclavoniae pro exigentia etiam Articulorum 18. et 50. novissimae Diaetae, Banali Jurisdictioni subjiciendos et incorporandos, clementer resolverimus. Cum porro Deputati hunc in finem Regij Commissarij nostri, Fideles quippe nostri Franciscus Baro ab Engelshoffen, Comes Alexander Patachich et Baro Ladislaus Vajay, Commissionem ante duos, uti praemittitur, Annos inchoatam et aliquo tempore interruptam, primo, quo fieri poterit Tempore reassumpturi atque ea de Causa in antelatos Districtus venturi essent, ad ejusmodi autem Commissionem ex parte Sclavoniae Regnorum Dalmatiae, Croatiae ac Sclavoniae Banus cum Statibus et Ordinibus modofatorum Regnorum Commissarios deputandos habeat.

Veluti proinde de hoc requisitam intimationem dictorum Regnorum nostrorum Bano sub hodierno Dato fecissemus, ita id ipsum Fidelitatibus quoque Vestris hisce perscribendum atque significandum esse duximus, quatenus juxta Praescriptum praeallegati 18. Articuli, cum praefato Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bano Commissarios ad praenotatam Commissionem proxime denominent; qui accepta a praenominato Comite Patachich de tempore ac Loco, in quo talismodi Commissio reassumetur, notitia, eo veniant et ex parte Slavoniae eidem Commissioni intersint, ac juxta Praescriptum praeallegati Articuli Sibi pariter incumbentia diligenter peragant. In reliquo Fidelitatibus Vestris Gratia nostra Regia benigne ac jugiter propensae manemus. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae, die vigesima septima Mensis Aprilis, Anno Domini millesimo septingentesimo quadragésimo quinto.

Maria Theresia m. p.

Comes Ludovicus de Batthyán m. p.

Franciscus Koller m. p.